



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CLXXV. Der Herzog Rudolph nimmt das Domcapitel unter seinen besonderen Schutz, am 18. Oct. 1319.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

posito, priori et capitulo ecclesie Brandenburgensis nec non ipsi ecclesie insulam sitam in Obula prope novam civitatem Brandenborch et lacum ibidem cum stagno Dunkersee, attingente limites ville Smercek, cum paludibus lignis universis ac aliis pertinentiis suis, sicut dominus Lokstede miles possedit, bone memorie, cum piscatura ac omni fructu et utilitate, justo proprietatis titulo plena libertate imperpetuum possidenda, licet de aliquibus pertinentiis esset expressa mentio facienda, renunciantes dictis insule, lacui et stagno ac universis premissis pertinentiis renunciatione sollempni per presentes litteras simpliciter et in totum, nec non omni juri, quod nobis vel nostris successoribus posset ex quacunque causa competere in futurum, mittimusque ipsum prepositum suo et capituli sui nomine per honestum militem nostrum advocatum Mathiam de Bredow, nostrum mandatum ad hoc habentem speciale, in possessionem corporalem omnium et cujuslibet predictorum, dictusque prepositus suo et capituli sui nomine nobis loco pretii dedit et persolvit in numerata pecunia sexaginta marcas argenti Brandenburgensis et ponderis, de quibus ipsos quitos publice nunciamus. — Testes vero sunt hij: reverendus pater dominus Henricus, ecclesie Havelbergensis episcopus, nobilis vir Guntherus de Keverberg comes, Droyseco, Henningus de Blankenborch, dapiferi nostri, Redeko de Redere, mariscalcus nostre curie, Mathias de Bredowe, advocatus noster predictus, milites, Everardus Berlinensis et Nicolaus Bernowensis prepositi ac Hermannus de Luchowe, nostri Capellani cum aliis fide dignis. Datum Spandowe anno domini M. CCC. decimo nono, feria secunda in rogationibus.

Nach dem Originale.

CLXXV. Der Herzog Rudolph nimmt das Domcapitel unter seinen besondern Schutz,
am 18. Oct. 1319.

Nos Rudolphus, dei gratia dux Saxonie etc. tutorque inclite principis domine Agnete in Brandenburg marchionisse, — honorabilem virum et discretum dominum Johannem, Brandenburgensis ecclesie prepositum ac ipsius totum capitulum cum personis omnibus ac universa et singula bona ad ipsum prepositum et suum capitulum pertinentia, ob digna et grata dicti prepositi obsequia, que nobis jam longo tempore exhibuit, cum fiducia in nostram recepimus et in presentibus recipimus protectionem et tutelam, volentes dominum Johannem, predictum Brandenburgensis ecclesie prepositum, ac ipsius capitulum cum personis atque omnia bona sua contra quoslibet seu quemlibet ipsa impetere aut infestare temere ac hostiliter cupientes vel cupientem pro nostris viribus sine hesitatione et dolo salubriter defensare pariter et tueri et predicti etiam prepositi posse habere debemus, quod unicuique juxta juris exigentiam et requisitionem ipsum impetere volenti faciet equitatem. In cujus rei testimonium nostrum sigillum est appensum. Datum Berlin, anno domini MCCCXIX. in die Luce evangeliste.

Nach der Copie im alten Copialbuche.